

PRÆSIDE IOANNE BOSCIO DOCTO-

RE MEDICINÆ, AC EIVSDEM FACVLTATIS DECANO, AD
has de concoctione atq; nutritione &c. propositiones Medicas subsequentes re-
spondebit M. Michael Lautherius Ehingensis Medicinæ studiosus.

79

- I.
II.
III.



VPLEX est concoctio: una quidem alimentorum, altera uero humorum.

Concoctio alimentorum (authore Galeno) est nutrientis in eius quod nutritur propriam qualitatem mutatio.

Humorum concoctio est actio qua maligni humores subiguntur naturæ. Concoctionem ista intelligit Hippocrates dum ait: concocta medicari & mouere oportet. Verum de hac nihil amplius in præsenti agere decreuimus.

III. Causa efficiens concoctionis existit calor: licet in nonnullis aliam quandam appareat efficientem concoctionis esse causam.

V. In animalibus concoctio prima fit in stomacho, ubi chylus fit: secunda in hepate, aut venis ubi sanguis: tertia in singulis partibus corporis, ubi humor alimentarius.

VI. Prima concoctio utilis est, nontamen semper necessaria. Nam aliqua nutriunt citra ullam in ventriculo concoctionem.

VII. Finalis causa seu finis concoctionis est nutritio.

VIII. Nutritionem definit Galenus eius quod nutrit ad id quod nutritur assimilationem.

IX. Aere quædam nutriuntur: quædam aqua: quædam terra: nihil igne, nisi quis ipsum seipso nutriri contendat.

X. Neq; amaris, neq; falsis, neq; acidis nutriuntur animalia: sed dulcibus solum.

XI. Quid in principio mensæ comedatur, quid in fine, nihil aut parum refert.

XII. Varia fercula non magis obsunt, q; vnum.

XIII. Cibus & potus non omnia prostant, si accipiuntur cum voluptate, præferuntur præstantioribus absq; voluptate sumptis.

XIV. Prandium liberalius ne cœna esse conueniat an non, indiscriminatum statui nequit: quemadmodum etiā quot horæ inter prandiū & cœnā oporteat interuenire: ac quot horæ defuderentur ad concoctionē.

XV. A prandio exercendum non est: sicut nec ante prandium si adsit fames.

XVI. Senes facillimè ieiunium tolerant: minus qui constantis sunt ætatis: minimum adolescentes: nullo autem modo pueri.

XVII. Vinum merum potum, sedat famem.

XVIII. Ante sumptum cibum bibere, non est vituperandum.

XIX. Vinum absinthites seu absinthiatum pessimus est potus.

XX. Dulce vinum tabidis est salubre.

XXI. Apparet non rectè Platonem, ne pueri, mulieres, milites, & Reipub. gubernatores biberent vim, prohibuisse.

XXII. Panis est optimus cibus.

Publicè disputabuntur commemoratae propositiones die Mercurij
hora 7. in Scholis Canonistarum.

Ingolstadij excudebant Alexander & Samuel Vveissenhornij:

M. D. LXIII.

9
BIBLIOTHECA MAMBOZO DOGIO

Quoniam dabo vobis eum qui regnabit in seculum et seculum et seculum.

May 2. 1828. - Chapel Cycles, in the
School of the University of Cambridge, England.

W D CXIII